



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Quale discrimen inter Cham & fratres?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

ingratâ & auarâ manu, immò & tam ambitioso animo porrecta. Quis in culpa fuit? Nonnè ipse Cain, qui utique idem, quod Abel, facere potuisset? & sanè etiam debuisset. Alterum patrum fratrum aspice Esau & Iacob; illum *DEVS odio habuit*, hunc dilexit; erant hi duo in vna mola molentes lentem, vnus assumebatur, alter relinquebatur: quia diuersa vtrique mens, diuersum erat fundamentum. Esau sibi in fundamentum posuit amorem proprium, & sensum carnis. Nam, vt gulæ suæ indulgeret, vendidit jus primogenituræ. Iacob electus fuit, quia domum posuit supra petram, fiducia enim in *DEVM* innixus, ad diuinam opem, in omni sua tribulatione, per orationem, confugiebat. Nonnè idem facere poterat Esau? Sed præualuit in eo voluptas; quia alia illi fuit voluntas: sensum quærebat, *DEVM* perdebat: Iacob autem cibum perdidit, *DEVM* inuenit, nec pluris fecit lentem, quàm benedictionem. Imagines erant hi duo fratres piorum, & impiorum. Quantillam voluptatulam accipiunt impij, & vendunt cælum! *DEVM* ipsum Iudas vendidit triginta argenteis. At, qui diuina sapiunt, nec totum quidem Mundum acciperent, vt *DEVM* vel leuissimè offenderent, immò, ne offendant, totum mundum relinquunt.

Rom. 9. 13.

Gen. 27. 30.

Considera & alios fratres. Cham, nudatum in patrem cùm incidisset, quod tegere debuisset, nuntiauit duobus fratribus suis foras. At verò Sem & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, faciesq; eorum auersa erant, & patris virilia non viderunt. Nonnè idem facere vel hi, quod Cham; vel Cham, quod hi, potuissent? Sed in illo erat maligna voluntas, in his amor honestatis. Meritò igitur euigilans Noë ex vino, cùm didicisset, qua fecerat ei filius suus minor, ait: *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitq;: Benedictus Dominus Deus Sem. fit Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, sitq; Chanaan seruus eius.* Ad eundem modum Deus maledixit maledictionem merentibus, & benedictione dignis benedixit. Penes quem fuit, vt Cham maledictionem mereretur? nonnè penes ipsum, quem ad impudentissimum aspectum, non utique *DEVS*, sed sua petulans impietas adegit?

III.

Gen. 9. 25.